

Corpus hoc mundanum ex terra & aqua in globi figuram compactum, intus sparsim igne interceptum & exterius aëre circumvestitum, quorum omnium complexum celeberrimus Kircherus perquam scitè Geocosmi nomine indigitare solet.

142. Globus terraqueus licet in se complectatur 2,662,560,000 mill. germ. cubica, ad Cœlum tamen comparatus est instar puncti.
143. Atmosphæram quatuor milliaribus præprimis circa polos humiliorem esse maximè est probabile.
144. Datur in globo terraqueo locus, ubi homo recta statura jacens simul & caput & pedes sursum erigat.
145. Invenitur quoque locus in globo terraqueo, ubi neque septentrio est, neque meridies, neque ortus, neque occasus.
146. Meridianus Primus omnium commodissimè duceretur per locum Oceani Pacifici notabiliorem.
147. Distantia duorum quorumcunque punctorum in globo terraqueo major est in circulis minoribus, minor verò in majoribus.
148. Æstus maris non est causa motus Lunæ, neque Luna causa æstus marini, licet quantitatis ratione coincidant.
149. Mappæ Geographicae tantò minus sunt fallaces, quantò minus globi terraquei segmentum repræsentant.
150. Geographiæ ignarus haut absimilis videtur patrifamilias, qui neque conclavia domus suæ, neque vicinos suos novit.

XVI. Architectonica.

151. Subjectum Architectonicae præcipuum sunt corpora globi terraquei partialia inanimata, prout sunt constructibilia.
152. In Architectonica dari demonstrationes, testantur concamerationes conclavium.
153. Saxa alternis amplexibus sibi mutuò sunt imponenda.
154. Parietem ex ligno constructum necessariò ligamentum requirere ex Propos. 7. lib. I Eucl. demonstrari potest.
155. Alam Faciei perpendicularem facere multò commodius est quàm Cortinæ.
156. Non abs re statuuntur quinque columnarum genera Tuscana, Dorica, Ionica, Corinthia & Composita.
157. Dispositio structurarum melius & perfectius cognoscitur ex modulò, quam vel ex Ichnographiâ vel Orthographiâ vel Scia-graphiâ.

158. Co-